DE NONNULLIS LOCIS
IONIS FABULAE EURIPIDEAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS


QUAM

AMPLISSIMO ORDINI PHILOSOPHORUM MARBURGENSIUM

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES


RITE CAPESSENDOS



OBTULIT

AUGUSTUS CAROLUS WISKEMANN
BERGENSIS.

MARBURGI-CATTORUM.
TYPIS N. G. ELWERTI TYPOGRAPHI ACADEMICI.
MDCCCLXXII.



Cum Ionis fabulae Euripideae textus, qui vocatur, duobus tantum deterioris notae libris nitatur, codice B. Palatino n. 287 et codice C. Florentino XXXII, n. 2, quod genus librorum secundum Kirchhoffium manavit »e libro seculo quidem tertio decimo antiquiore, sed qui interpolatoris manum et grammatici et metrici fuisset expertus minime verecundam«, fit, ut non modo saepissime mutandis locis depravatis, sed hic illic etiam eiiciendis interpolatis textum fabulae emendandum esse cum Dindorfiis, Nauckio, aliis existimem; qua sententia ductus pauca hoc libello ad emendandam fabulam conferre conabor.

Versus 98—101*) in libris leguntur hoc modo:

> στόμα τ' εὔφημον φρουρεῖτ' ἀγαθόν,
> φήμας τ' ἀγαθὰς
> τοῖς ἐθέλουσιν μαντεύεσθαι
> γλώσσης ἰδίας ἀποφαίνειν.

In quibus explicandis quamquam viri doctissimi magna diligentia sunt versati, tamen non indignum censeo in hos versus denuo accuratius inquirere. Difficultas loci potissimum posita est in vocabulis ἀγαθόν et ἀποφαίνειν, cum alterum illud non apte cum verbis στόμα εὔφημον coniungi possit, infinitivus autem ἀποφαίνειν non habeat, quo referatur, nisi infinitivum pro imperativo positum esse velis, quod sunt qui statuant. Utramque difficultatem tollere sibi visus est L. Dindorfius, quem Guil. Dindorfius secutus est, scribens φρουρεῖν ἀγαθόν, ut et φρουρεῖν

---

*) Numeri sunt editionis Nauckianae.

et ἀποφαίνειν referatur ad ἀγαθόν, quod cum copula ἐστίν, quae mente addenda sit, praedicatum sit totius enuntiati. Sic mihi quoque videbatur, antequam diligentius sententias virorum doctorum perspexeram, nunc autem non iam tenendum censeo, qui nimis frigida oratione Euripidem usum fuisse sim edoctus, si Ionem tali modo fecisset imperantem.

Hoc vitio ut poetam levaret, G. Hermannus, quem secuti sunt Hartungius, Fixius, Schoemannus in programmate Gryphiswaldensi 1860, p. 7. (Opusc. ac. IV, p. 64 sq.), particula τέ quae est post verbum φήμας deleta, vocem ἀγαθόν mutandam putavit in ἀγαθῶν, qui genitivus regeretur ab eis quae sequuntur: φήμας ἀγαθάς, ut esset haec sententia: »favete linguis, quo bona bonorum omina« sive, ut Schoemannus interpretatur, »bona verba tanquam boni eventus omina et praesagia oraculum consulturis edatis, ita ut eorum animi spe laeta et fiducia erigantur«. Quae coniectura longe ingeniosissima num sit probanda, ex eis, quae infra disputabo, apparebit.

Novam rationem loci emendandi iniit Badhamus in Philol. VII, p. 161, qui ταυτολογίαν quam efficiat vox εὔφημον cum voce ἀγαθόν ut tollat, comparans locum, qui est in Suppl. v. 900: ἐφρούρει μηδὲν ἐξαμαρτάνειν, legi vult: στόμα τ' εὐφημεῖν φρουρεῖτ' ἀγαθόν (nam quod scriptum neque semel sed bis scriptum est φρούρει τ', merum errorem typographi esse existimo) infinitivum autem ἀποφαίνειν ab eis quae praecedunt pendere contendit. Quo quid potest excogitari artificiosius? Neque tamen video, qui illa coniectura difficultas, quae est in voce ἀγαθόν, tollatur; neque quo infinitivum ἀποφαίνειν referendum esse diceret, ipsi Badhamo certum fuisse videtur, cum non satis dilucide diceret eum »a praecedentibus« pendere. Si ab imperativo φρουρεῖτε etiam alterum infinitivum ἀποφαίνειν pendere statuit, (nihil enim de delenda particula τέ post verbum φήμας dicit): alia est utriusque infinitivi ratio, quorum alter cum verbo φρουρεῖτε coniunctus fortasse aliquo modo potest ita intellegi, ut idem sit atque μὴ δυςφημεῖν; alter autem, in

quem cavendi sive custodiendi notio verbi *φρουρεῖν* omnino non quadrat, nullo modo potest cum imperativo *φρουρεῖτε* coniungi. Sin infinitivum a priore infinitivo Badhamus regi vult: non intellego, quomodo *τὸ — ἀποφαίνειν* h. e. advenas bonis verbis salutare ex illo *εὐφημεῖν* consequatur.

Nauckius cum priore editione verba *γλώσσης ἰδίας* extruserit, in altera se locum non expedire confitetur; Kirchhoffius lectionem librorum retinet, praeterquam quod ut Hermannus *στόμα δ'* scribit, quod mea quoque sententia continuatio orationis postulat. Qui recentissimus extitit huius loci interpres, Levinsonius in programmate gymnasii Ratiboriensis 1862, p. 4, legere suadet *ἀγαθοί*, eandem fere sententiam eliciens atque Musgravius, qui *ἀγανοί* scribendum proposuit. Sed ipse Levinsonius, mox remissa coniectura, verba *εὔφημον* et *ἀγαθόν* eodem modo necti vult, quo insequenti versu verba *φήμας ἀγαθάς;* quamquam ne hoc quidem pro certo affirmare audet.

Iam quid mihi de hoc difficillimo loco videatur, exponere in animo est. Atque primum quidem quae sit condicio et Ionis et eorum, quos alloquitur, paucis explicabo. In quo non praetermittendum puto, quod Schoemannus in priore programmate Gryphiswaldensi 1859 (Opusc. ac. IV, p. 55), quo prologum huius fabulae Euripideae tractat, p. 20 sq. Euripidem in Ionis condicione depingenda non satis diligentem fuisse dicit, cum versu 54 et 55 eum appellet *χρυσοφύλακα τοῦ θεοῦ ταμίαν τε πάντων πιστόν*, mox autem Ionem vili munere »areae aqua sacra aspergendae et avium abigendarum« occupatum inducat et eius quidem aetatis eum esse indicet, cui vix tantus honor convenire videatur. Cui respondendum censeo, Ionem, quamquam adhuc adulescentulus cogitandus sit, tamen omnium rerum et humanarum et divinarum iam non imperitum in tota fabula apparere, et cui utpote filio Apollinis praeter ceteros servos tam insigne munus committatur. Nam quamquam Ion modestia quadam iterum atque iterum se servum Apollinis esse sacris ministeriis summa diligentia et laetitia deditum confitetur, tamen

ministeria eius non eiusdem generis sunt ac reliquorum servorum neque ipsum nomen servi propria notione accipiendum, quippe cum Ion melioris sortis sibi ipse conscius ab Apolline se filii loco haberi bene sciat (cf. v. 136 sqq.). Quocum optime congruit, quod Xutho interroganti: *ἀλλὰ τίς προφητεύει θεοῦ;* Ion. v. 415 respondet: *ἡμεῖς τά γ' ἔξω, τῶν ἔσω δ' ἄλλοις μέλει*, quibus verbis non indicare vult ad se pertinere *προφητεύειν τὰ ἔξω*, quod sensu caret, sed loquendi quadam brevitate in priore parte omittit notionem alicuius verbi, cui in altera respondet vox *μέλει*, quasi dictum esset: *ἡμεῖς*, h. e. ego, *τά γ' ἔξω ἔχομεν δι' ἐπιμελείας*, *διοικοῦμεν*, curamus. Nam cum *τὰ ἔξω* opponuntur *τοῖς ἔσω*, omnia officia et intra et extra aedem praestanda intellego, non modo eas res, quas quis *προφητεύει*. Hartungius igitur errat, qui in libro quem inscripsit »Euripides restitutus« I. p. 478 Ionem et ministros appellat *προφήτας**). Quodsi Ion *τὰ ἔξω* ministrare et curare dicitur, quodsi praefectus est et domorum et opum ministrorumque custos, quidni Euripidi eum magnifico sane nomine

---

*) Accedit quod nullo loco Ionem *προφητεύειν* ex hac fabula colligi potest. Nam quae Ion versibus 369—380 disserit Creusam admonens, ne ex Apolline quaerat, quod deus celare velit, sententiam generalem esse quam dicunt neque ad Ionis officium vaticinandi spectare cum ex tota loquendi ratione tum ex eo clarissime elucet, quod auspiciorum (*δι' οἰωνῶν πτεροῖς*) indicatio fit, quae Delphis imprimis habita esse nusquam traditur. Haec verba *δι' οἰωνῶν πτεροῖς* sunt ex eis, quae viris doctis variarum mutationum occasionem praebuerunt. Equidem in his verbis non offendo, cum verba *δι' οἰωνῶν* significare putem: ex avibus, sicut dicitur *ἡ δι' οἰωνῶν μαντική*, et, qua ratione auspicia ex avibus capienda sint ut melius intellegatur, addi dativum *πτεροῖς* h. e. volatu scl. alitum, ita ut haec duo verba non tam arcte inter se cohaerere, quam simili ratione ad praedicatum *ἐκπονήσομεν φράζειν* pertinere videantur. Sed utut haec res se habet, auguriorum mentio hoc loco manet. Cum Schoemanno (Opusc. ac. IV, 135) Delphis et extispicia et *auguria* habita esse contendente facere nequeo, cum neque in eius Antiqu. gr. p. 317 sq. neque a Wieselero (Ann. philol. LXXV, p. 681 sq.) auspiciorum mentionem fieri viderim.

χρυσοφύλακα καὶ ταμίαν πάντων appellare licuit? Poetae hoc quidem est neque tamen neglegentis. Adde, quod Ion versu 522 corona redimitus fingitur, et officium vestibuli sacris ramis aquarumque aspergine lustrandi minime vile existimandum videtur.

Quoniam Ionis condicionem exposuimus, de eis, quibus imperat et quos versu 94 nominat ὦ Δελφοὶ θέραπες, facile erit iudicium. De sacerdotibus quominus hic cogitemus, multa impediunt; satis erit indicare, quanta reverentia Ion v. 415 sq. loquatur de sacerdotibus. Itaque quod Musgravius in explicando loco v. 98—101 dicit, sacerdotes hic ab Ione iuberi responsa, quae deus advenis dederit, explicare et interpretari, valde errat. Servos enim Ion alloquitur, quos antequam diurna officia aggrediantur, sacro fonte lavari iubet. Quoniam autem supra vidimus Ionem templi antistitem esse et versibus 226—233 docemur, ab eodem chorum mulierum Atheniensium adyto arceri, ne ea spectent, quae conspicere nefas sit: credibile est, hoc quoque loco ministros a principe ministrorum instrui, quo modo se in via gerant, ne quid incidat, quod contra fas et sacras Apollinis leges sit, imprimis autem ne quid ab eis peccetur, qui rerum sacrarum ignari Apollinis oraculum consulturi sint. Quid igitur est, quod Ion eis imperat? primum ut linguis faveant ipsi, deinde ut templum adituris bona verba praebeant? At num faustis verbis advenas recipere antistes servis imperare debebat? Quid Ionis intererat, quo illi successu uterentur, cum illius esset non hospitibus consulere, sed leges et sacros mores servare? Qui turbari facile vel verbis poterant ab eis, qui primum sacrum templum intrabant. Quamquam autem Ionem tanta humanitate esse statuimus, ut prosperum eventum advenis contingere exoptet, tamen nihil praestat officio, quod ipsa sanctitas loci postulat. Quid ergo? Ministri ab Ione ex officio iubentur et ipsi linguas coercere et, in quos extra templum incidant, ut idem faciant, curare.

Iam quaeritur, quomodo hanc sententiam e verbis eruamus.

Hunc in finem singula verba, in quibus aliqua vis posita est, paucis illustranda erunt.

φήμας ἀγαθάς. Haec verba ad cultum sacralem pertinent et primo obtutu eis, quae priore versu dicta sunt (*στόμα τ' εὔφημον φρουρεῖτ' ἀγαθόν*) sic respondere videntur, ut utrobique notio vocabuli *ἀγαθόν* aeque prematur; qua utrimque detracta, fit, ut *στόμα εὔφημον* in priore parte idem valere videatur atque in altera parte vox *φῆμαι.* At in verbis *στόμα εὔφημον* iam inest vis adiectivi *ἀγαθόν* neque fieri potest, ut os bene coercitum bonum nominetur. Dixerit quispiam *ἀγαθόν* per prolepsin, quae vocatur, additum esse; sed idem iam de adiectivo *εὔφημον* valet, quod cum imperativo *φρουρεῖτε* coniunctum sic vertendum est: custodite linguam, ut bona verba edat. Illud *ἀγαθόν* igitur ab eis, quae antecedunt, prorsus seiungendum est. Quid autem est *στόμα εὔφημον φρουρεῖν* nisi os ita cohibere, ne quid infausti et profani exeat, sed bona tantum verba, h. e. *φῆμαι ἀγαθαί* sive *εὐφημία*, quae cum sit tanquam effectus *τοῦ εὐφημεῖν* et certam quandam actionem significet, per se absolutam, qui fieri potest, ut genitivus *ἀγαθῶν* addatur, quod sit obiectum logicum *τῶν φημῶν ἀγαθῶν*, ut Hermanno aliisque visum est? Eodem iure verbo *εὐφημεῖν* addere liceret *ἀγαθά*, nam ratio logica prorsus eadem est.

γλώσσης ἰδίας. Matthiaeus sic interpretatur: »*γλώσσης ἰδίας* dictum est, quod *suo ore* ministri proferebant, quae Pythia numine instincta suggesserat«. Quasi vero de renuntiandis oraculis hic sermo esset. Hermannus verba sic vertit: »quantum in vestra lingua est«, Schoemannus opponi dicit ministrorum verba »voci Pythiae, quippe quae non tam ipsius propria sit quam divinae mentis instrumentum«. Qua explicatione nihil posset praeclarius cogitari, dummodo ministrorum esset oraculum consulturis prosperum eventum optare. Gravissimum autem quod Hermanni explicationi obstat est, quod infinitivo *ἀποφαίνειν* ita cum eis quae antecedunt coniuncto, ut sit consecutio et

effectus verborum *στόμα εὔφημον φρουρεῖτε*, tota vis eorum, quae ministri facere iubentur posita esset in advenis salutandis. Ego contra τῷ *εὐφημεῖν* summam vim inesse iudico, neque id ob eam solam causam imperari, ut hospites faustis vocibus recipiantur, sed propter ipsius gravissimi officii necessitatem. Ne nimius sim, oppositio quae inest in verbis *γλώσσης ἰδίας* non fit inter servos et Pythiam, sed id quod naturae rei maxime est conveniens, inter ministros, qui sunt dei proprii ideoque aliqua ex parte sacri (*ὅσιοι*), et oraculum adituros, qui cum sint profani rerumque sacralium ignari, lingua eorum optime potest dici *ἰδία**).

ἀποφαίνειν. Cum considerarem promulgandi et edicendi notionem saepe occurrere in verbis declarandi cum praepositione *ἀπό* compositis, velut in *ἀποδεικνύναι*, *ἀπαγγέλλειν*, *ἀπειπεῖν*, *ἀποκηρύσσειν*, *ἀποσημαίνειν*, in mentem venit verbo *ἀποφαίνειν* quoque hic significationem inesse demonstrandi, quid faciendum sit, edicendi, imperandi, eodem fere modo, quo in Iph. A. v. 1564 Talthybius dicitur *εὐφημίαν ἀνειπεῖν καὶ σιγὴν στρατῷ*. Sententia tum haec esset: et ipsi linguis favete et oraculum consulturis bona verba propriae et profanae illius quidem linguae indicere, imperare (fas est, iubeo?).

Quaeritur nunc, qua ratione infinitivus *ἀποφαίνειν* cum eis quae antecedunt cohaereat. A voce *ἀγαθόν* eum pendere non posse, supra ubi de Dindorfii coniectura sermo erat, indicavimus, neque ab imperativo *φρουρεῖτε* eum regi in refutanda Badhami ratione vidimus. Restat ut paucis exponam, quomodo tragicos infinitivum pro imperativo usurpasse ex ipsis mihi visus sim cognoscere.

In Sophoclis Phil. v. 1411 Hercules Philoctetae apparens dicit:

φάσκειν δ' αὐδὴν τὴν Ἡρακλέους
ἀκοῇ τε κλύειν λεύσσειν τ' ὄψιν

*) Sic etiam ab Herodoto VIII, 109. *τὰ ἴδια* opponuntur *τοῖς ἱεροῖς*; scribit enim: *ὅς (Ξέρξης) τὰ ἱρὰ καὶ τὰ ἴδια ἐν ὁμοίῳ ἐποιέετο.*

ubi infinitivo *φάσκειν* indicatur Philocteten non falli, si dicat se Herculem videre et audire. In eadem fabula v. 57 legimus:

ὅταν σ' ἐρωτᾷ τίς τε καὶ πόθεν πάρει,
λέγειν, Ἀχιλλέως παῖς· τόδ' οὐχὶ κλεπτέον.

Ulixes Neoptolemum iubet Philocteten decipere et si interrogetur, quis sit, dicere se Achillis filium esse; in hoc non esse mentiendum. Infinitivus *λέγειν* exprimit, Neoptolemum sine simulatione dicere posse, unde sit oriundus.

Eadem ratio est infinitivi *φάσκειν* in Soph. Oed. R. v. 462, ubi Tiresias Oedipodi de ipsius vaticinandi arte dubitare permittit, si mentiatur, dicens: *κἂν λάβῃς ἐψευσμένον,*
φάσκειν ἔμ' ἤδη μαντικῇ μηδὲν φρονεῖν.

Apud eundem Sophoclem El. v. 9 paedagogus Electram in patriam reducens, ubi in conspectum Mycenarum urbis venerunt,

φάσκειν, inquit, *Μυκήνας τὰς πολυχρύσους ὁρᾶν,*
πολύφθορόν τε δῶμα Πελοπιδῶν τόδε.

Euripides denique in Troadibus v. 422 praeconem Talthybium postquam Cassandrae imperavit ut se ad Agamemnonem sequeretur, ad Hecubam conversum sic loquentem facit:

σὺ δ', ἡνίκ' ἄν σε Λαρτίου χρῄζῃ τόκος
ἄγειν, ἕπεσθαι· σώφρονος δ' ἔσει λάτρις
γυναικός,

ubi in infinitivo *ἕπεσθαι* haud scio an insit mansuetudinis et consolationis quiddam, quod Talthybium minime dedecet. Nos diceremus: so folge nur, du kannst getrost folgen.

Nonne singularis quidam hic usus tragicorum dicendus est? In eis quidem locis, quos modo consideravimus, infinitivo indicari videtur, secundum statum et rerum naturam in potestate alicuius esse sive licere, aliquid facere; nihil aut timoris aut impedimenti esse, quominus quid fiat, et mente addendum est *πάρεστί σοι* aut *ἔξεστί σοι*. Atque quod non nihili esse puto, nullo loco cum infinitivo coniungitur accusativus nominis, sed aut absolutus est aut constructio infinitivi sequitur. Praeterea

semper infinitivus est pro imperativo singularis numeri. Unus locus praeterea extat apud Sophoclem in Antigonae v. 442, quo chorus a Baccho precans, ut Thebanis auxilio veniat, infinitivo utitur:

καὶ νῦν
μολεῖν καθαρσίῳ ποδὶ Παρνασίαν
ὑπὲρ κλιτὺν ἢ στονόεντα πορθμόν.

Quem infinitivum eo explicari censeo, quod mulieres precantes in summo querelarum affectu nihil nisi nudam verbi *μολεῖν* notionem sine ulla relatione modali pronuntiant ideoque infinitivo utuntur, cui meram verbi notionem inesse manifestum est.

Quarum explicationum cum neutra in infinitivum *ἀποφαίνειν* quadret, quippe qui neque e rerum natura sequatur neque vehementes preces exprimat, cumque Euripides vix putandus sit non multo post imperativum eodem sensu usurpasse infinitivum, de verbo *ἀποφαίνειν* desperans parvula mutatione scribo *ἄπο βαίνειν*, quod et sententiae loci a me postulatae respondet et bene cum eis quae antecedunt cohaeret; namque accusativus cum infinitivo *φήμας ἀγαθὰς* — *βαίνειν* regitur a verbo *φρουρεῖτε* et est alterum illud, in quod animum attendere, quod cavere et custodire servi ab Ione iubentur. Totus igitur locus hunc in modum scribendus:

στόμα δ' εὔφημον φρουρεῖτ', ἀγαθοί,
φήμας τ' ἀγαθὰς
τοῖς ἐθέλουσιν μαντεύεσθαι
γλώσσης ἰδίας ἄπο βαίνειν.

Ut vocabulum *ἀγαθόν* mutarim in vocativum *ἀγαθοί*, inde factum est, quod in vestigiis literarum insistendum putavi, alioquin fortasse placuisset scribere *ἀν' ὁδόν*. Ne omissa apud vocativum vocula *ὦ* te offendat, inspicias, quae Hermannus ad Soph. Oed. C. v. 172 adnotavit: »*ξεῖνοι* sine *ὦ* vocantis esse aut *admonentis* facile sentiat, qui animum velit advertere«. Praeterea quod Ion vel in imperio servos *ἀγαθούς* nominat, et ex ipsius condicione et e modesta humanaque indole, qua eum poeta tota fabula voluit esse, excusari contendo.

Ionis et Creusae prius colloquium cum iterum atque iterum legerem, non satis potui mirari, quod in versibus 355—359 tractandis, qui mihi quidem offensionum pleni videntur, recentiores editores tam parum curae posuerunt, imprimis autem, quod cum ceterum in rebus minutissimis sint diligentissimi, ne indicare quidem Hermanni sagacem explicationem eis in mentem venit. Qui transpositis versibus librorum:

ἀδικεῖ νιν ὁ θεός· ἡ τεκοῦσα δ' ἀθλία,

qui vulgo Ioni, et altero:

οὔκουν ἔτ' ἄλλον ὕστερον τίκτει γόνον,

qui Creusae tribuitur, et una verbis *ἡ τεκοῦσα* mutatis in *οὐ τεκοῦσα*, id sibi efficere visus est, ut et aptae essent sententiae et colloquium recte procederet. Nam ferri non posse ait, quod Ion Apollinem tum iniuriae incuset, ubi audiverit, quantum temporis spatium e filii interitu sit elapsum: nihil enim ad dei iniquitatem interesse, »utrum nuper an pridem filium perimi siverit Apollo«. In quibus vereor ne Hermannus nimius fuerit, qui »non ad acceptam«, ait, »aetatis notationem« Jonem debuisse *respondere*. Nam Ion hoc versu omnino non respondet Creusae; immo Creusa Ioni temporis indicium petenti proximo versu responderat, eadem, qua illum, aetate suum filium futurum, si viveret. Iam igitur Ion nullo respectu habito eorum, quae proxime antecedunt, quid et de Apolline et de muliere illa miserrima sentiret, nulla offensione poterat proponere, modo omnia, quae sequuntur, recte se habeant.

Deinde autem Hermannus verba Creusae: *οὔκουν ἔτ' ἄλλον — γόνον* neque aptam sententiam praebere et frigide dicta maleque annexa esse dicit. Ex his argumentis primum hoc est. »Quamvis enim, inquit ille, supra dixerit (scl. Creusa) se liberorum causa oraculum consulere, tamen haec Xuthi potius cura est, quam ipsius, quae non tam novam prolem quam quem peperit filium quaerat«. Quasi vero Creusae non fuerit miseriarum solatium in novis liberis quaerere! Cum deinde dicat verba frigide dicta esse, nam *ὕστερον* prorsus inutile esse, non

video, quomodo ipse sua coniectura hoc vitium evitaverit. Quod denique vir doctissimus verba non recte annexa esse contendit, quippe quae verba Ionis neque confirment neque augeant, Kirchhoffius hanc difficultatem tollere sibi visus est, cum pro *οὔκουν ἔτ'* scribendum proponeret *ὡς οὐκέτ'*. Neque magis cur pro verbis *ἡ τεκοῦσα* scribendum sit *οὐ τεκοῦσα*, Hermannus mihi persuasit. Nam sive Ionis sive Creusae haec verba sunt, oppositio, quae est in duabus partibus versus, *ἀδικεῖ νιν ὁ θεός* et *ἡ τεκοῦσα δ' ἀθλία*, non pertinet ad verba *νίν* et *τεκοῦσα*, sed ad verba *θεός* et *τεκοῦσα*. Vitium igitur in versu inesse non statuemus, modo iudicium servemus liberum. Quare Schoemannus quoque vulgatum versuum ordinem defendit in Opusc. ac. IV, p. 131. sqq.

Quoniam causam non esse vidimus, ut Hermannum sequamur, nunc quaerendum erit, qua ratione loco non satis expedito succurramus. Nam cum poeta a versu 343 Ionem et Creusam ita fecerit colloquentes, ut binis versibus contineatur et interrogatio et responsio, cumque idem illud recurrere videamus versibus 357 et 358, quo tandem modo ferendum putamus, quod a versibus 355 et 356 hanc rationem videmus abhorrere? Nonne sapientis poetae fore dicamus, versu 355, quo Ion omnia, quae de sorte feminae illius ab Apolline deceptae audiverat, complectens Apollinem iniustum puellamque ab illo compressam miseram nominat, huic sermoni finem imponere? Nam quae deinde sequuntur ita sunt comparata ut ab Euripide ea esse profecta vix mihi possim persuadere. Neque pauca sunt, quae ad hanc cogitationem me totum hunc locum etiam atque etiam legentem adduxerunt. Primum cum Hermanno ineptum iudico, si Creusa hoc loco querelas edat, quod alios liberos non pepererit, cum totus locus in iniquitate Apollinis versetur. Postquam autem de nova prole sermo est illatus, qui fieri potuit, ut Ion v. 357 rursus de perdito filio loqueretur, ab Apolline eum servatum clam educari suspicatus? Quae Creusa deinceps respondet, Apollinem, si solus eis gaudeat, quae sibi cum eo

communia sint*), esse reprehendendum, neque ingenio mulierum respondere arbitror, quae facile spem oblatam arripere solent, neque Creusae consilio, quae cum de filii sorte oraculum consultura Delphos venisset, Ionis verbis potius ad spem pueri inveniendi adduci debebat, quam ad increpitandum Apollinem. Ionis denique exclamationis: *οἴμοι προςῳδὸς ἡ τύχη τὠμῷ πάθει!* quid tandem dicamus causae fuisse? Quid est in eis, quae proxime antecedunt, quod cum Ionis sorte tam manifeste congruat, ut acerbissimi doloris vocem *οἴμοι* excitet, qua uti nisi summis afflictati doloribus non solent? An eo exclamationem explicare vis, quod Ioni cum illo perdito filio eadem sors sit? Sed hunc ab Apolline educari sola suspitio erat! »At Creusae, inquis, sorti consentit Ionis calamitas, qui, ut illa filium, et ipse matrem desiderat, neque singula verba, sed omnia, quae de illa re a Creusa audiverat, respiciens Ion illud exclamat«. Quod cum facere non posset sine cogitatione et conscientia quadam eorum, quae dicturus esset, maioribus etiam difficultatibus implicamur. Nam ut Ion, in affectu vehementi de ipsius sorte mentione iniecta, haberet excusationem, cum a Creusa de matre admonitus tacere eam iuberet dicens: *καὶ μὴ***) *μ' ἐπ' οἶκτον ἔξαγ' οὗ λελήσμεθα;* considerate loquens non haberet. Quid enim potest ineptius cogitari, quam cum ipse querelas incipias, alterum causam doloris commemorantem impedire, ne tibi luctum moveat, *cuius ipse sis oblitus?*

Contra quam bene versus 360 coniungitur cum versu 355! Ion matrem nominat miseram, cui Creusa respondens: te quoque, inquit, puto matrem miseram desiderare. Ad quae optime Ion:

---

*) Nam sic vertendum cum Seidlero, Hermanno, aliis; Matthiaei contortam explicationem versus: *οὐ δίκαια δρᾷ, εἰ τὰ κοινὰ μόνος δρῶν χαίρει,* et Badhami artificiosissimam et sane miram versionem p. 162: „qui palam impune vivit, clam iusta facere non solet“, refutare non opus est.

**) Non minus verisimile est pro *καὶ μή* scriptum fuisse *οὐ μή,* et vocabulum *καί* ex initio versus antecedentis huc irrepsisse, quam *μὴ δή,* quod ab Hartungio profectum a Schoemanno probatum est.

noli veterem in me dolorem revocare. Illos quatuor autem versus 356—359 interpolatoris esse pro certo habeo, qui quamvis esset homo ingeniosus et poeta satis bonus, tamen crassa, ut aiunt, Minerva colloquentium se invicem ignorantium errores tantum non eo adduxit, ut Ion se esse filium illum ab Apolline conceptum coniceret. Sic factum est, ut attentio audientium augeretur, sententia perturbaretur.

Obiter tantum tangam versum 523:

ἅψομαι· κοὐ ῥυσιάζω, τἀμὰ δ' εὑρίσκω φίλα,

cum hoc loco comparanda ratus, quae leguntur vv. 1404—1407. Ibi enim Creusa ab Ione vinculis constringi iussa cum adhaesuram se esse dicat et Ioni et cistulae, in qua ille erat expositus, hic vim sibi fieri ut indicet, utitur verbo *ῥυσιάζειν*. Quod illa negans respondet:

οὐκ· (h. e. *οὐ ῥυσιάζει*) *ἀλλὰ σοῖς φίλοισιν εὑρίσκει φίλος.*

Eandem videmus versus 524 rationem esse. Respondent enim illius loci verbis: *ἀνθέξομαι, οὐ ῥυσιάζει, εὑρίσκει* eodem ordine hoc loco verba: *ἅψομαι, οὐ ῥυσιάζω, εὑρίσκω.* Offensionem igitur in oppositione, quae est inter verba *ῥυσιάζω* et *εὑρίσκω*, nullam esse et id quod dicitur *ῥυσιάζειν* ex Ionis opinione eo effici, quod homo profanus personam sacram attingat, demonstrasse mihi videor. Praeterea animadvertas velim actionem huius colloquii. Xuthus Ioni obviam veniens filium eum nominat et laetitia elatus oscula amplexusque petit, deinde ubi insaniae opprobrium a se abhorrere contendit, propius accedere et paene amplecti, tum repulsus tanto impetu in fugientem incurrere cogitandus est, ut ille ei necem minetur. In quo quod Xuthus fere eisdem verbis utitur, quibus paulo ante, optime id mihi convenire videtur cum vehementi motu patris, qui rem se invenire carissimam iterum atque iterum affirmat.

Versum 594, quem libri mutilum ita praebent: — *μηδὲν καὶ οὐδὲν ὢν κεκλήσομαι*, ut sanarent, viri docti in varias coniecturas inciderunt. Ion cum patre ire recusans duo sibi Athenis mala fore contendit, quod spurius sit et advenae, non indigenae

filius. His e vitiis quae deinde sibi dicit mala emanatura, non possunt non duplicia esse, se nullum nominatum iri a nulloque oriundum. In quibus cum eandem censeam negationis esse rationem, in vocabulo *μηδέν* duas voces *μή* et *οὐδέν* delitescere et, cum illud *μή* iam evanuerit, aliquam timendi significationem excidisse ratus sive *φόβος ἔστι* sive *δέος ἔστι* sive *δέδοικα*, versum sic scribere non dubito:

δέδοικα μὴ οὐδὲν κ' οὐδένων κεκλήσομαι.

Hoc loco de synizesi vocalium *μή* et *οὐ*, de evitato hiatu, de futuro *κεκλήσομαι* ut accuratius disputem, nemo a me postulabit.

In eodem dialogo ubi Ion propter matris timorem Athenas ire se nolle confitetur, versus 612—617 cum primum legimus, vix ferendi videntur esse. Offendunt enim et sententiae temere repetitae et constructio grammatica, cum quae per particulam *κᾆτ'* ad constructionem coniunctionis *ὅταν* annectuntur, a sententia enuntiati primarii *μισήσομαι* valde abhorreant, et quae de feminarum veneficiis Ion fabulatur. Sed quaeritur num desit his vitiis excusatio. Eruditum sane Ion se in omnibus rebus ostendit, sed ita ut scientia eius non tam ex experientia profecta esse, sed solis magistrorum praeceptis deberi videatur. Quare omnes cogitationes ad generalem quandam rationem referre solet omniaque quae ad confirmandam sive refellendam sententiam possunt proferri, congerere et disponere, quasi ei sit a magistro positum, de quo declamitet. Quod cum ex aliis locis multis possumus cognoscere (compara sis vv. 239 sq.; vv. 374—380, quibus demonstrat, quae dii inviti dent, esse inutilia, quae sponte, utilia; vv. 436—451), tum maxime ex eis quae in hoc cum Xutho colloquio poeta eum facit disputantem. In quo ut satius sibi esse demonstret Delphis manere quam Athenas proficisci, primum quae se Athenis expectent incommoda, deinde a versu 633 quae Delphis habeat bona, longa disputatione exponit. Atque in priore quidem parte postquam de infami genere suo est locutus, tres potissimum causas affert, quae se Athenas ire

non patiantur: invidiam et obtrectationem civium, si velit cum eis de dignitate certare, timorem matris liberis carentis, tyranni nomen. Quarum rerum cum primam et tertiam duodenis versibus tam subtiliter et accurate explicet ut quod addas vix habeas: quidni in media parte, qua de gravissima causa, in qua tanquam cardo rerum versatur, disserit, Ionem ita locutum esse censeamus, ut omnia, quae ex invidia matris effici posse putaret, et propria et patris mala ei ante oculos obversarentur? In quo non praetereundum videtur hanc rem esse talem, qua Ionis adolescentis bene morati animum necesse fuerit summo affectu commoveri, ita ut constructionis grammaticae ille minus quam sententiarum rationem haberet. Nam cum verbo *μισήσομαι* enuntiatum finiri expectemus, Ion coniunctione *ὅταν* pergit, quasi non antecesserit participium *ἐλθών κτλ.*, et ex hac coniunctione etiam ea pendentia facit, quae natura reluctantur. Sed ex eo ipso, quod quae per particulam *ὅταν* annectuntur recipiunt ea, quae antecedunt (*ἐλθὼν δ' ἐς οἶκον — οἴσει πικρῶς*), consentaneum est, Ionem, postquam de novercae in ipsum odio mentionem fecerit, animi affectu raptum, ad movendum Xuthi animum ut in re, in qua summa cautio sit adhibenda, orationem ab initio repetiisse atque auxisse et ita quidem, ut post verbum *μισήσομαι* paululum in sermone subsistere videatur, quasi addat: »animum attende, finge tibi animo, quae fore arbitreris«. Iam videndum erit, qua ratione versus 614 et 615 cum prioribus connexi sint. Nonne summo, inquit Ion, malo mihi odium novercae erit, cum ipsa liberis carens te filio frui aegre ferat, tibique perpetuis Creusae stimulis exagitato optio sit data, utrum uxori obsecutus me perdas, an preces eius neglegens tuearis, sed cum maxima domus tuae perturbatione tuearis? Vis igitur coniunctionis *ὅταν* non tam ad singulas partes, quae distinguuntur particula *ἤ*, pertinet, quam ad Creusae machinationes, quae Xutho duram illam necessitatem imponunt. Quod deinde Ion pergit iam saepe feminas viris necem ense vel veneno

attulisse*), haec verba referenda sunt ad illam regiae domus perturbationem, quae quamquam proprie ad Ionis necem spectare videtur (*δῶμα συγχέας ἔχῃς*), tamen nihil obstat, quominus etiam Xuthi interitum his verbis indicari statuamus, siquidem verba *συγχέας ἔχῃς* per euphemismum dicta putamus pro passiva constructione *δῶμα συγχυθῇ*. Ne Ionem in timore dicamus nimium esse: ipsa fabula procedens docet, quam vere iuvenis iudicaverit. Nam non modo Ioni Creusa postea necem parat, sed Xuthum quoque cum filio perimere paedagogus ille versibus 845 sq. suadet. Verba Ionis igitur neque a personarum, quas poeta hac fabula inducit, ingenio abhorrent et cum ipsius sentiendi loquendique ratione optime conveniunt.

Ubi Creusa iterum in scenam prodiens paedagogum lassitudini nimis indulgere vetat, ille versu 746 respondet:

οὔκουν ἑκών γε· τοῦ δ' ἄκοντος οὐ κρατῶ.

Cum vox *ἄκοντος* contra metrum sit, omnes editores coniecturam Reiskii *ἀπόντος* receperunt, sine dubio hoc vocabulo defectum virium indicari arbitrati. Sed praeterquam quod exempla eius usus desidero, quo *τὸ ἀπόν* sit pro substantivo, ieiunam puto sententiam esse, cum dicas: ea quae me defecerunt, non sunt in mea potestate. Paedagogus absque dubio dicere vult, voluntatem bonam esse, sed vinci corporis debilitate. Cuius igitur rei non iam est compos? Voluntatis liberae sive eius notionis, quam ille indicat verbo *ἑκών* h. e. quantum in me, in mea voluntate et potestate est. Scribendum igitur:

οὔκουν ἑκών γε· τοῦ δ' ἑκόντος οὐ κρατῶ.

Neutrius generis illum genitivum esse quisque videt. Ne eadem vox tam parvo intervallo repetita te offendat, conferre huic loco libet Iph. Aul. v. 658:

θέλω γε· τὸ θέλειν δ' οὐκ ἔχων ἀλγύνομαι.

---

*) In relativo *ὅσας* inest vis causalis, quasi dictum esset: *ἐπεὶ τοσαύτας*, cuius usus piget exempla afferre. Heathii coniecturam *φαρμάκων τε θανασίμων* cum ratio metrica tum verborum constructio postulat.

Magnam certe vim adversationis in hac repetitione inesse facile concedes. Sententiae quoque in utroque versu mira est similitudo. Nam fac Iphigeniam negativo usam fuisse imperativo: *μὴ λεῖπε ἡμᾶς*, Agamemnon optime respondere poterat:

οὔκουν ἑκών γε (sive *θέλων*) *τοῦ δ᾽ ἑκόντος οὐ κρατῶ*,

nam *τὸ θέλειν οὐκ ἔχειν* idem est atque *τοῦ ἑκόντος οὐ κρατεῖν*: utrobique voluntas libera necessitati rerum cedere cogitur.

Cum ad locum difficillimum tractandum accedimus qui extat versibus 828—830 et a libris sic exhibetur:

κἄπλεκεν πλοκὰς
τοιάσδ᾽· ἄλους μὲν ἀνέφερ᾽ εἰς τὸν δαίμονα,
ἐλθὼν δὲ καὶ τὸν χρόνον ἀμύνεσθαι θέλων
τυραννίδ᾽ αὐτῷ περιβαλεῖν ἔμελλε γῆς,

ante omnia in ea inquirendum videtur, quae paedagogum dixisse e toto illius sermone consequatur. Postquam e choro audivit Xutho Ionem filium datum esse, statim fraudem subesse suspicatus Creusam contumeliose a coniuge prodi domibusque expelli persuasum habet. Quin etiam totam fraudem perspicere sibi visus Xuthum, cum Creusa liberos non pepererit, e serva quadam dicit filium procreasse, cui regnum daret. Hunc Delphis abditum postquam comperisset adultum, Creusae persuasisse, ut secum liberorum nanciscendorum causa Delphos proficisceretur, quo cum pervenissent, ipsius filium tanquam Apollinis donum Athenas ducere ibique regem instituere ei fuisse in animo. Itaque cum Ion ei sit filius tributus, non deum mentitum esse, sed ipsum coniugem iam diu fefellisse, qui spurium filium clam uxore genuerit. Quod crimen cum per se indignum esse tum machinationibus augeri, quibus Xuthus id celare filiumque adulterinum regem instituere studeat. Etiam quae chorus paedagogi sermone commotus exclamat:

οἴμοι, κακούργους ἄνδρας ὡς ἀεὶ στυγῶ,
οἳ συντιθέντες τἄδικ᾽ εἶτα μηχανὰς
κοσμοῦσι,

ad rem illustrandam aliquid valent. Nam verba *οἳ συντιθέντες*

τἄδικα vertenda sunt: cum res iniustas *moliuntur* sive *molituri sunt,* non: cum moliti sunt. Ex quo apparet, gravissimum crimen Xuthi a choro et paedagogo (nam eadem illi esse sententia putandi sunt) non praeteritum intellegi, sed id quod illo ipso tempore moliatur et postero tempore moliturus sit.

Hoc ad paedagogi verba, de quibus quaerimus, referens aliter ea nequeo intellegere quam ut id, quod Xuthus moliatur (*συντίθησιν*), consilium esse filii ad summos honores evehendi, dolum autem, quo consilium assequi velit (*μηχανάς*) verbis: *ἀνέφερ' εἰς τὸν δαίμονα* contineri existimem. Utrumque autem et consilium et dolum exprimi censeo verbis: *κἄπλεκεν πλοκὰς τοιάςδε*, h. e. hacce dolosa via hoc perfidum consilium efficere volebat. Quibus in verbis cave ne cum ceteris interpretibus plus inesse arbitreris quam paedagogus voluit. Namque illi haec paedagogi verba de arguta et subtili distinctione intellegentes, qua Xuthus rem secum cogitans usus sit, initio versus 828 aliquid requirunt, quod verbo *ἁλούς* praecedentis versus oppositum sit, idque participium *λαθών*, ut de ceteris taceam, plurimi esse sibi persuaserunt. Quae res talis videtur, in qua paululum commoremur.

Paedagogum igitur viri docti ita locutum esse arbitrantur, ut Xuthus de prospero eventu doli sui dubitans secum deliberasse videretur, quid facturus esset, cum deprehenderetur, quid cum dolus sive adulterium lateret. Quorum ut aut hoc aut illud eveniret quid effecturum fuisse putemus, non docent. Equidem hanc quaestionem non habeo quomodo expediam. An de duplici oraculi forma, qua aut innotesceret dolus aut lateret, Xuthum cogitasse censeamus, qui e paedagogi sententia ne consulere quidem oraculum voluerit et ad decipiendam uxorem nomen filii finxerit iam antequam Delphos sit profectus? At Xuthus, inquis, ipse post ea, quae cum Ione collocutus est, veritus, ne res aperiatur, choro, nisi taceat, supplicium minatur: penes chorum igitur erat, utrum dolus detegeretur an delitesceret. Sed haec res a loco, de quo disputo, valde abhorret. Nam con-

silium illius erat Ionem non filii sed hospitis nomine Athenas ducere, ne uxori dolorem moveret, et hoc celare chorus iussus erat. Huius autem doli paedagogo non venit in mentem, nam, id quod gravissimum est, in eo potissimum nequitiam et fraudem positam censet, quod Xuthus *uxore Delphos adducta* Apollinem se consulturum simulet et dei iussu Ionem e serva procreatum legitimi filii loco velit esse. Quid enim verbis opus erat versus 824:

ἐλθεῖν σ᾽ ἔπεισε δεῦρ᾽ ἀπαιδίας χάριν,

nisi Xuthus Ionem palam in familiam nomenque adsciturus filiique loco habiturus erat? Quae paedagogi sententia si aliquatenus contra chori verba repugnare videtur, qui a Xutho sibi de novo filio silentium imperatum esse dixerat; non opus est ut senex ille, qui in incusando Xutho minus ratione quam ira utebatur, leges logicas prorsus servaverit. Quare ne mireris, quod ille in quadam perturbatione animi aut oblitus est, choro silentium imperatum fuisse, aut si meminerat, non de adoptione censuit sed de clandestino adulterio imperatum. Quid dicam in tota hac argumentatione eum argumentis uti admodum infirmis?

Praeterea autem quaesiverim, num omnino secundum paedagogi verba verisimile sit, Xuthum tali distinctione usum esse. Si utebatur, quodammodo certe respiciebat calliditatem feminarum, ne dolum perspicerent veritus; sin minus, eo maior erat eius temeritas, qui de fraudis successu ne dubitaret quidem. Utrum horum in irati hominis sermonem aptius conveniat, facile est diiudicare. Accedit quod oppositio vel propterea apta non est, quod Xuthus etiam tum Ionem regem instituere volebat, cum esset deprehensus.

Quibus rebus fit, ut Xuthum tali distinctione non usum esse persuasum habeam, et ea, quae *πλοκαί* nominantur, non ita esse dicta, quasi senex depingat, quid et quomodo Xuthus ipse secum cogitaverit ratiocinatusque sit, sed ita, ut e paedagogi mente illae cogitationes sint profectae.

Namque fieri posse, ut Xuthus mulieres deciperet, paedagogus

ne cogitavit quidem, qui tanto est mentis acumine, ut totam fraudem primo obtutu perspicere sibi videatur, et Creusae quoque facili negotio persuadet, ut ipsius argumentis fidem habeat. Atque res ipsa talis erat, in qua Creusa et paedagogus facile suspitionem caperent: nam mortem sibi minari, si quid aperiret, chorus indicaverat, nihilominus tamen aperuerat Xutho filium datum esse. Quodsi haec sola indicatio seni illi sufficit ad coarguendum Xuthum fraudemque plane detegendam, inde consequitur, secundum paedagogi rationem *eo ipso tempore, quo filius adsciscatur, Xuthum adulterii esse convictum,* neque ullam excusationem et simulationem eum crimine liberaturam. Quoniam autem senex, ut supra vidimus, eam ipsam ob causam, ut filium spurium reciperet, Xuthum Delphos profectum esse statuit, iam intellegis, quid senserim, cum supra verba: *ἀλοὺς μέν κτλ. e mente paedagogi profecta esse* contenderem. Nam haec verba hoc mihi significare videntur: Xuthum cum convictus sit, h. e. cum crimen apertum et eo quidem apertum sit, quod filium adoptaverit, Apollinem esse auctorem simulaturum.

Hoc igitur unum erat, quod Xuthum assequi voluisse paedagogus dicit et ad quod imprimis referenda puto, quae chorus deinceps de *μηχαναῖς* loquitur, neque minus verbum *μεμηχανημένως*, quod senex initio sermonis sui usurpaverat. Alterum contra, ad quod spectat illud *ἐκβαλλόμεσθα* et *ὑβριζόμεσθα*, erat Xuthi consilium filii regia potestate impertiendi. Satisne his duabus sententiis oppositionis inesse concedis, qua particulae *μέν* et *δέ* explicentur? Equidem illas ita intellego, ut prior (*μέν*) significet, quod nos dicimus „was das betrifft", „einestheils", paene dixerim „erstens", altera (*δέ*) enuntiatum continuet, quasi dictum sit „und dann", „ferner aber", et ita quidem, ut posterioris membri primum verbum *πιθών**) breviter tanquam summam prioris partis: *ἀνέφερ' εἰς τὸν δαίμονα* com-

*) Nam hoc verbum facili negotio e corrupta voce librorum *ἐλθών* restituitur et in sententiam optime quadrat.

plectatur et repetat. Namque alterum consilium tanquam priore niti et ex eo consequi apparet, cum Xuthi plurimum interfuisse sit consentaneum, ut fraus in occulto maneret, immo Apollo auctor filii esse videretur. Quantae enim audaciae fuisse existimas, si Xuthus quemlibet peregrinum filii nomine Athenarum principem facere esset conatus, quantam et apud cives et apud uxorem moturum fuisse invidiam! Qui cum et ipsi autochthones sibi viderentur esse et Erechthei uterentur principatu, vel Xuthi peregrini dominationem aegre ferentes, Ionem principem fieri nullo modo erant passuri (cf. vv. 721 sqq.), nisi ab ipso deo Atheniensibus rex constitutus esse videretur. Huc spectare puto verba librorum: *καὶ τὸν χρόνον ἀμύνεσθαι θέλων*, in quibus viri docti mirum quantum offenderunt, alii aliter verba explicantes mutantesque. Ne in recensendis omnium sententiis nimis moremur, satis habebimus inquirere, num possimus id e verbis eruere, quod argumento loci a nobis postulato respondeat. Quidquid de verbi *ἀμύνεσθαι* apud tragicos usu potui reperire, semper inest a se arcendi, defendendi, evitandi notio: itaque *τὸν χρόνον ἀμύνεσθαι θέλειν* neque potest esse secundum Reiskium et Matthiaeum: iacturam temporis olim in defectu prolis elapsi compensare cupere, neque secundum Musgravium: sperare fore ut longum temporis intervallum consilium suum (Xuthi) adiuvet, sed omnino verba sententia carent. Neque vero Hermanni placet ratio, qui pro verbis *καὶ τὸν χρόνον* scribendum: *κατὰ τὸν χρόνον* ratus *ἀμύνεσθαι θέλων* vertit: »ut sibi praesidium pararet«. Quod in verbo inesse nego, cum notionem stabiliendi et confirmandi longe abhorrere a tuendi et defendendi videam. Rectum vidisse censeo Iacobsium, qui in ceteris nimis audax pro *χρόνον* scripsit *φθόνον*, quod a nullo interprete video adhuc receptum.

Primum de sententia pauca dicam. Cum in priore versu *ἄλους μέν κτλ.* Xuthus id tantum appetere dictus esset, ut crimen, cuius argui posset, adulterii dico, a se defenderet, multo etiam magis ei curae esse debebat, ut ne solus filio frueretur;

quae res cum toties in fabula recurrat, vix cogitari potest eam ab Euripide hoc loco esse praetermissam (cf. v. 657 sq., 680, 699 sq., 772, 775, 817, 915, 1025, 1070). Illam cautionem optime exprimi verbis *τὸν φθόνον ἀμύνεσθαι θέλων* nemo infitiabitur. At constructio, inquis, grammatica talis est, ut illa verba eorum quae sequuntur: *τυραννίδ' αὐτῷ κτλ.* causa esse videantur, quasi dicatur: Xuthus ideo Ionem regem facere volebat, quia invidiam declinare cupiebat: idcirco absonum est scribere: *τὸν φθόνον ἀμύνεσθαι θέλων.* Ad ista haec respondeo:

Ante omnia cavere te iubeo participium *θέλων* cum verbis *περιβαλεῖν ἔμελλε* ne coniungas, sed mente teneas, quaeso, illud participium cum eis, quae antecedunt, coniungendum, ita ut grammatice subiunctum sit participio *πιθών.* Nam quominus participiorum *πιθών* et *θέλων* eandem rationem dicamus esse, impedit, quod illud condicionem, hoc causam indicat: quo fit, ut illud *καὶ* non copula habenda, sed per particulam »etiam« sit vertendum. Novam causam autem in participio *θέλων* inesse Delphos eundi fraudisque nectendae, ex eis quae supra exposui apparet. Volebat e paedagogi sententia Xuthus eodem modo, ut adulterii crimen, invidiam evitare, quod poterat pronuntiari verbo finito: *ἀμύνεσθαι ἔθελεν*, pariter ac scriptum est *ἀνέφερεν* (quod idem valet atque *ἀναφέρειν ἔμελλεν*) et *περιβαλεῖν ἔμελλεν;* sed cum primam sententiam paedagogus repetiisset participio *πιθών*, h. e. »quod si (tibi) persuasit, scl. Apollinem auctorem filii esse«, statim nova causa, cur id persuadere studeat, adicitur participio *θέλων*, *consilium* dico *simul* (in persuadendo) *etiam invidiae effugiendae,* eodem modo ut adulterii crimen effugere ei contigit. Nostra lingua verto: und wenn er (dich) davon überzeugt hätte, wobei er auch dem Haße zu entgehen beabsichtigte, so wollte er ꝛc. Parenthesin propemodum dixerim illam loquendi brevitatem.

Totum locum igitur sic scribendum et vertendum puto:

κἄπλεκεν πλοκὰς
τοιάσδ'· ἅλους μὲν ἀνέφερ' εἰς τὸν δαίμονα,

πιθὼν δὲ — καὶ τὸν φθόνον ἀμύνεσθαι θέλων —
τυραννίδ' αὐτῷ περιβαλεῖν ἔμελλε γῆς.

Hasce machinationes, cum te Delphos adduceret deumque se consulturum simularet, Xuthus agebat: primum ubi filio adoptato adulterium patefactum esset, rem ad deum referebat, deinde si id tibi persuasisset, (in quo etiam invidiam et tuam et civium declinare volebat) principem eum facturus erat.

Postquam Creusa Apollinem ut calamitatis suae auctorem incusavit seque ab illo compressam filium peperisse eumque expositum perdidisse cum lamentatione dixit, paedagogus his verbis se obstupefactum fatetur, tum addit v. 927:

κακῶν γὰρ ἄρτι κῦμ' ὑπεξαντλῶν φρενί,
πρύμνηθεν αἴρει μ' ἄλλο σῶν λόγων ὕπο,
οὓς ἐκβαλοῦσα τῶν παρεστώτων κακῶν
μετῆλθες ἄλλων πημάτων καινὰς ὁδούς.

***Κακὰς** ὁδούς* libri praebent, Musgravius, quem praeter Hermannum omnes editores secuti sunt, primus restituit: *καινὰς ὁδούς.*

Horum versuum duo primi quamquam male cohaerent, tamen forma anacoluthi, quod dicunt, excusantur, cuius formae multa exempla contulit Matthiaeus (§. 556, Anm. 3); posteriores versus maximas viris doctis difficultates praebuerunt. Cum Matthiaeus verba sic iungit: »*οὓς τῶν παρεστώτων κακῶν* pro *περὶ τῶν παρ. κ.* ad *λόγους* relatum«, primum in relativo *οὓς* etiam verba de novis malis a paedagogo indicari certum est, non solum verba de praesenti calamitate, praeterea autem neminem Graecum dicturum fuisse puto: *λόγοι κακῶν*, nedum in enuntiato relativo: *λόγοι, οὓς κακῶν λέγεις.* Nam in relativo substantivi propria vis et rectio evanescit; sic nos dicere possumus: „Worte des Wahnsinns", in relativo enuntiato nemo adhibebit genitivum: „Worte, welche du des Wahnsinns sprichst", quod inde explicari puto, quod iam genitivus ille tanquam enuntiati relativi locum obtinet.

Ubi primum paedagogo hoc loco imaginem navigationis ante

oculos versari perspexi depictam vocibus *ὑπεξαντλῶν*, *κῦμα μ' αἴρει πρύμνηθεν*, *μετῆλθες καινὰς ὁδούς*, ita ut ipse cum Creusa sibi videatur velut in navi vehi, quae ex undis in undas feratur, non dubitabam, quin etiam verba *τῶν παρεστώτων κακῶν* imagine intellegenda essent de magno aequore sive amni malorum, et enallages notissima figura participium *ἐκβαλοῦσα* indicaret, Creusam, sicut navis de cursu deflectit, ipsam querelarum tanquam via devertere. Quem usum verbi *ἐκβάλλειν* paucis probabilem reddere studebo. Cum verba *βάλλειν* (*βάλλ' εἰς κόρακας*), *μεταβάλλειν*, *προςβ.*, *ἐμβ.*, *εἰςβ.* saepius intransitiva notione usurpentur, verbi *ἐκβάλλειν* autem prorsus eadem sit ratio logica ac verbi *εἰςβ.*, praeterquam quod hoc indicat: quo quis petat, illud: unde exeat: mirum sane esset, si a verbo *ἐκβ.* intransitivus ille usus abhorreret. Neque vero abhorret. Quod cognosci potest vel ex Eur. El. 96 (*ἵν' ἐκβάλω ποδὶ ἄλλην ἐπ' αἶαν*). Sed ne hoc incerto loco, qui mihi quidem non est dubius, nimis confidere videar: verbum *ἐκβάλλειν* et ipsum habet erumpendi effluendique notionem et eadem vi impertit substantivum *ἐκβολή*, quae vox significat non modo segetum frondiumque eruptionem (Thuc. IV, 1), sed etiam fluviorum exitum (ib. II, 102. VII, 35. Herod. VII, 128). Neque minore iure ex ea substantivi *ἐκβολή* notione quae est digressio, excessus (Thuc. I, 97: *ἐκβολὴ λόγου*) conicere possumus, verbum *ἐκβάλλειν* notione deflectendi, qua id transitive adhibitum videmus in Eur. Cycl. 20 (*ἄνεμος ἐξέβαλεν ἡμᾶς* (e cursu eiecit) *τήνδ' ἐς Αἰτναίαν χώραν*), etiam intransitive usurpatum esse. Nam eodem modo quo locutioni *εἰςβολαὶ λόγων* (Eur. Suppl. 92) respondet intransitivum verbum *ἐμβάλλειν εἰς λόγον* (Eur. El. 962), etiam substantivo *ἐκβολὴ λόγου* (Thuc. I, 97) intransitivum verbum *ἐκβάλλειν λόγου* respondere consentaneum est. Porro cum *εἰςβάλλειν in locum* intransitive usurpetur (Eur. Bacch. 1045), etiam verbo *ἐκβάλλειν e loco* idem ius vindicandum existimaverim, eodem modo ut verba latina »deflectere«, »devertere« et nostra „treiben", „fahren", „ablenken" intransitivam significationem induerunt.

Ne linguae graecae indoli vim facere videar, apud Philostratum verba *ἐκβολὴ ὁδοῦ* significare *egressionem e via* H. Stephanus testatur, sed in addendo paginae numero errasse videtur. Quod dici non potuisse contendo, si a linguae graecae natura abhorruisset dicere: *ἐκβάλλειν ὁδοῦ* (e via devertere). Quare cum Creusa a paedagogo dicitur *ἐκβαλεῖν τῶν παρεστώτων κακῶν*, ipsa velut navis e cursu e prioribus querelis, quas de adoptato a Xutho Ione ediderat, deflexisse et in novas aliarum miseriarum (ipsius partus etc.) tanquam vias delata esse iudicanda est.

De mutanda autem vocula *οὖς* in *ὡς* eo minus dubitabam, quod cum idem iam a Musgravio inventum, a Kirchhoffio probatum vidissem, non parum id mihi ad confirmandam meam sententiam contulit. Quorum virorum prior *ὡς ἐκλαθοῦσα*, alter *ὡς μ' ἐκκαλοῦσα* scribendum rati cum ceteris illud *ἐκβαλοῦσα* labefactare frustra sunt conati. Particula *ὡς* eo facilius a librario in *οὖς* mutari potuit, quo audacius ei videbatur intransitivum participium *ἐκβαλοῦσα* cum genitivo coniunctum, quoque usitatior erat locutio: *λόγους ἐκβάλλειν.*

Creusa cum de irrito conamine Ionis necandi certior facta supplicii timore ad dei aram confugisset, Ioni comprehendere eam studenti se deo se vovisse dicit neque fas esse dei supplicem ab ara distrahi. Cui ille respondet: cum dei esses propria, tamen conata es filium dei veneno interficere? et cum illa contradicens illum iam non Apollinis sed Xuthi fuisse contenderit, versu 1288 obloquitur:

ἀλλ' ἐγενόμεσθα, πατρὸς δ' οὐσίαν λέγω.

Quae verba Musgravius mendosa arbitrans sic forte restituere suadet:

ἄλλως ἐγενόμεσθ', οὐ πατρὸς θέσιν λέγω,

cum Ionem a Xutho ut filium receptum desiisse dicat Apollinem patrem vel adoptivum habere, et sic vertat: »atqui, alio modo ad deum pertinebam, i. e. si non filius, minister certe eram dei: non enim de eo nunc ut de patre adoptivo loquor«.

Qua coniectura si requiras quod sit insulsius, inspicias quae

in Musgravii adnotationibus deinceps uncis inclusa leguntur, coniecturam nescio cuius: *πατέρα δ' οὖν σ' ἐᾶν λέγω* (suadeo igitur, hanc de patre contentionem omittas) et Heathii:

ἀλλ' ἐγενόμεσθα τὸ πάρος, οὐσίαν λέγω

(at prius huius fui, partem eius rei familiaris me fuisse dico; aut, distinctione post *ἐγενόμεσθα* posita, vertendum: at fuimus: de condicione mea priori loquor).

Sed his nugis omissis, de Hermanni sententia quid nobis videatur, iam exponemus. Is in eo est laudandus, quod primus aoristi *ἐγενόμεσθα* vim respiciens vertit: »factus sum dei, si id quod vere est patris spectatur, cura in alendo educandoque filio posita«.

Sed hoc quale Hermannus statuit Ionis responsum non convenit Creusae verbis, quae illud minime negat, sed id potissimum premere videtur, eo ipso tempore, quo eum necare sit conata, Ionem *non iam* Apollinis filium fuisse, quod satis elucet e particula *οὐκέτι* bis posita; quod si teneas, te latere non poterit, quam ieiune sit illud Hermanni: »at factus sum dei« oppositum. Neque enim quae antea sibi cum deo fuissent, sed quae illo ipso tempore, cum nex intendebatur, Ioni erant dicenda.

Quae praeterea viri docti proposuerunt, ut versum sanarent, Seidlerus: *ματρὸς ἀπουσίαν λέγω*, Kirchhoffius: *πατρὸς ἀπουσίᾳ λόγῳ*, Hartungius: *πατέρα δ' οὐσίαν λέγω* et si quis alius verba: *ἀλλ' ἐγενόμεσθα* servans coniecerit de reliquis: haec omnia eodem atque Hermanni explicationem vitio laborare, quin etiam velut ad excusanda verba: *ἀλλ' ἐγενόμεσθα* a viris doctis esse inventa pro certo habeo. Etenim non aoristi sed imperfecti formam grammatice, verbi *λέγεσθαι* notionem sententia flagitat. Scribendum igitur: *ἀλλ' ἐλεγόμεσθα.* Compara sis v. 311: *Λοξίου κεκλήμεθα*, vv. 1324—59, v. 1541 *τοῦ θεοῦ δὲ λεγόμενος.* Quaeritur nunc, quomodo Ionis responsum explicandum et ad Creusae verba referendum putemus. Creusae illum, ubi veneficium pararetur, non iam Apollinis fuisse contendenti Ion respondet: »at dicebar certe, h. e. in me nomen conveniebat, non

quo essem ab Apolline genitus, sed *λόγῳ*, cum omnia, quae filius patri, ego Apollini deberem et nunc debeam, ita ut totus etiam nunc eius sim proprius; quodsi Apollinem nunc quoque patrem appello, eam intellego rationem, quae inter patrem et filium intercedere solet, ex qua filius est *πατρος οὐσία*, nam deus beneficiis me tanquam in iura sua vindicavit«.

In quo non praetereundum puto, verba *πατρὸς οὐσία* non de certis personis, sed velut terminum generalem abstractione quadam philosophica de cuiuslibet patris et filii ratione esse intellegenda ideoque facile tanquam parenthesin, nulla coniunctione addita, potuisse adnecti; nam illud *δέ* metrum respuit. Plurimum autem lucis Ionis responsum accipere videtur e comparatione versus 1324, ubi Ion discessurus etiam Pythiam matrem dilectam nominat, eodem modo quo Apollinem nostro loco adhuc pro patre sibi esse affirmat; in quo Euripidis humanum ingenium cognoscimus, qui iuvenem illum etiam postquam genitorem invenit, eodem quo antea erga beneficiorum auctorem animo esse finxerit.

Quoniam Ion se adhuc Apollinis proprium esse dixit, optime Creusa respondere potest: »prius quidem eras dei, nunc autem ego dei sum, tu non iam es«, quippe quae de vocis *οὐσία* propria possidendi notione cogitans paululum ab Ionis sententia differat.

Versus 1489—1491 ut libri exhibent: *παρθένια δ' ἐμᾶς ματέρος σπάργαν' ἀμφίβολά σοι τάδε ἐνῆψα, κερκίδος ἐμᾶς πλάνους*, neque aptam sententiam praebere neque metrum integrum servasse, iam dudum ab editoribus cognitum est, variasque coniecturas, quibus locum sanarent, viri docti protulerunt.

Imprimis haeserunt in explicatione genitivi *ἐμᾶς ματέρος*, quem nemo, quantum sciam, defendere est conatus. Itaque extiterunt, qui Paleium secuti pro *ἐμᾶς* genitivum *σᾶς* substituendum putarent, ut mihi videtur, admodum artificiosa ratione usi, non minus quam Barnesius, qui pro *ἐμᾶς* scribendum proposuit *ἐμοῦ*. Neque aliter talem rationem intellegere possum,

quam ut viros illos ea, quam statuunt, loci sententia contentos existimem, dum melior inveniatur, cum minus bonam statuere quam nullam malint. Quod Musgravius in verbis *παρθένια σπάργανα* offendens legit:

παρθένια δ' ἔργ', ὡς ματέρος
σπάργαν', ἀμφίβολά σοι — —

et apud eundem nescio quis adnotat: scripsisse videtur Auctor:

παρθενικὰς δὲ δίασμα χερός,

Euripidem tam parvo intervallo eandem sententiam repetiisse, non possum mihi persuadere; velamina enim ab ipsa virgine texta esse paulo post apertis verbis indicatur: *κερκίδος ἐμᾶς* (nam sic legendum) *πλάνους.*

Miram rationem iniit Hermannus, qui, vocem *σπάργανα* additamentum interpretis esse ratus, ut metrum corruptum restitueret, versus dochmiacos sic scripsit:

παρθένια δ' ἀπ' ἐμᾶς ματέρος ἀμφίβολα
σοὶ τάδ' ἐνῆψα, κερκίδος ἐμᾶς πλάνους.

In quibus quod ille verba *ἀπ' ἐμᾶς ματέρος ἀμφίβολα* intellexit velamina, quae Creusa a matre texenda accepisset, nemini sententiam suam probavit; quod unde evenerit non opus est exponere.

Huius igitur loci cum medelam nondum invenerint viri docti, campus adhuc patet coniciendi. Qua licentia utar, sed ita, ut e finibus earum rerum, quae hac fabula aguntur, imprimis quae ad Creusam spectant, non egrediar. Nam cum velamina virginea hoc loco ad matrem Creusae nihil pertinere iudicassem, in mentem mihi venit inquirere, quo *matris* indicationem spectare censeamus. Neque te cum Creusae partes accuratius consideraveris, praeteriturum puto, duas potissimum res esse, quae Creusae crimen suum iterum atque iterum reminiscenti ante oculos obversatae sint virginitatem perditam et curam, ne res innotesceret praecipue ne parentibus crimen aperiretur. Quanti haec altera res momenti fuerit, inde perspicitur, quod permultis locis vocibus *λέχος*, *γάμος*, *λέκτρον*, *εὐνή*, *ὠδίν* adiunguntur

adiectiva, qualia sunt κρυπτός, κρύφιος, κρυφαῖος, σκότιος, alia. Maximam autem in Creusa fuisse verecundiam matris, et e mulierum natura et e versibus 893 et 898 consequitur, quo loco de calamitate sua Creusa querelas edens, se, ubi a deo in speluncam abrepta sit, ὦ μᾶτερ exclamasse et, postquam filium pepererit, eum propter matris timorem (φρίκᾳ ματρός) in speluncam abiecisse dicit.

Quoniam autem priorem illam de perdita castitate querelam verbis παρθένια σπάργανα exprimi intellexi, quippe cum fasciarum usus a virginibus prorsus abhorreat; alterum illud, quod modo indicavi, e verbis ἐμᾶς ματέρος elicere ausus sum, cum vocabulum *ΕΜΑΣ* librarii errore ortum arbitrarer e verbo ἰδίᾳ (*ΙΔΙΑΙ*), nam litera *Σ* facile e litera *Ι*, *Μ* e coniunctis literis *ΔΙ*, *Ε* ex I oriri potuit. Sententiam sic optimam evadere, nemo negabit. Nam cum verbo ἰδίᾳ indicetur Creusam solam per se, nullo adiuvante, infantem involucris colligasse, adiuncto genitivo*) ματέρος sententia est, Creusam matris timore ductam ei se subduxisse et solam clam matre filium fasciis involvisse; quae res ideo memoratu digna est, quod plerumque moris est, ut matres puerperis operam praebeant suam. Praeterea autem non omittendum puto, huius loci sententiam ad versus 955 (ἐν ὄρφνῃ σπαργανώσαντες πέπλοις) similitudinem prope accedere.

Iam de ea difficultate videamus, quam viri docti in verbo σπάργανα inesse statuerunt. Velamina enim Creusae, quae ab ipsa virgine in alium usum contexta sint, non posse dici σπάργανα contendunt. In hac re levissima ne diutius verser, ex usu, in quem texta adhibeantur, et ipsa σπάργανα dici posse si quis negabit, inspiciat versum 32: αὐτῷ σὺν ἄγγει σπαργάνοισί θ' οἷς ἔχει, et 918: σπάργανα ματέρος ἐξαλλάξας, et 955: ἐν ὄρφνῃ σπαργανώσαντες πέπλοις, et 1597: ἐπεὶ — — — ἀπέθου ἐν

*) Vox ἰδίᾳ cum genitivo coniuncta reperitur in Aristoph. Ran. 102.

σπαργάνοισιν. Non infacete sic quamquam cum dolore virginis opera ab ea praeter expectationem σπάργανα appellari facile concedes. Quae dictio cum liberior videretur, potius statuam ad eam interpretandam et tanquam corrigendam verbum ἀμφίβολα adscriptum esse, quod interpretis tempore pro substantivo ἀμφίβληστρον in usu fuisse non negaverim *) quam cum Hermanno putabo, vice versa verbo ἀμφίβολα vocem σπάργανα velut interpretationem additam esse.

Neque tamen adiectivum ἀμφίβολα proleptice usurpatum hoc loco me offenderet, dummodo metro integro id servare possemus, At cum et in eis, quae proxime Creusa dixerat:

κύκλῳ κρύφιον ὤ|δῖν' ἔτεκον Φοίβῳ,

et in posteriore parte enuntiati inde a verbo σοί metro dochmiaco usa sit:

σοί τάδ' ἐνῆψα, κερ|κίδος ἐμᾶς πλάνους,

cumque reliqua quoque verba computata duos dochmios efficiant: verbum ἀμφίβολα supra a me in suspitionem vocatum abundat. Scribo enim versus:

παρθένια δ' ἰδίᾳ | σπάργανα ματέρος
σοὶ τάδ' ἐνῆψα, κερ | κίδος ἐμᾶς πλάνους. **)

Nunc qua ratione ordo verborum sit turbatus, erit demonstrandum. Postquam verbum ἰδίᾳ mutatum est in ἐμᾶς et adscripta vox ἀμφίβολα post vocem σπάργανα irrepsit, genitivum ματέρος non suo loco stare ideoque post adiectivum ἐμᾶς ponendum esse, interpreti in mentem venire facile potuit. Fortasse etiam eo consilio genitivum inter παρθένια et σπάργανα collocavit, ut genitivum adiectivo et substantivo inclusum cum hoc tanquam in unam notionem confunderet.

---

*) cf. Leon. Tar. Anth. Pal. 6, 296, 4.

**) Pro scriptura τάδε librorum scribendum esse τάδ' apparet; in verbo ἐνῆψα, quod Fixius mutavit in ἐξῆψα, nihil mutandum.

Quae si recte disputata sunt, omnes difficultates hoc loco remotae sunt: nam et metrum recte procedit, et matris iure mentio fit, et verborum abundantia tollitur.

Non possum ab his versibus discedere, quin de loco, ubi Creusa filium pepererit et fasciis involverit, pauca dicam. Nam versu 949 Creusa paedagogo, ubi enixa sit, interroganti respondet, se in spelunca, in qua sit compressa, peperisse; cum Mercurius in prologo v. 16 domi eam dixerit enixam esse et idem appareat e verbis, quae Creusa ipsa v. 344 edit: *τὸν παῖδ᾽ ὃν ἔτεκεν ἐξέθηκε δωμάτων.* Quocum congruit Creusae narratio vv. 1486—1496: *ἔτεκον — ἐνῆψα σπάργανα — οὐκ ἐπέσχον τροφεῖα οὐδὲ λουτρά — ἀνὰ δ᾽ ἄντρον ἐρημον ἐκβάλλει,* et vv. 897—901: *τίκτω δ᾽ ἁ δύστηνός σοι κοῦρον, τὸν φρίκᾳ ματρὸς εἰς εὐνὰν βάλλω τὰν σάν, ἵνα με λέχεσι — ἐζεύξω;* nam utrobique locum expositionis distineri videmus a loco partus.

Ne dicam ex alterius illius loci imitatione eum, de quo disputamus, esse ortum (suspicari hoc facile quis e locutione *ζευγνύναι γάμοις* sive *λέχεσιν* sibi videatur); nonne absonum dices, quod paedagogus paulo post quam e Creusa audivit, illam solam in spelunca partum edidisse, versu 954 ex eadem quaerit, quis filium exposuerit, quasi illa in specum exiisset, ut filium servaret? Praeterea quod Creusa deinceps v. 955 in obscuritate atque tenebris (*ἐν ὄρφνῃ*) se filium exposuisse dicit, multo videtur verisimilius esse eam ad exponendum filium caliginem *opertam* quam *casu* quodam noctu enixam esse.

Quibus rebus perpensis non dubito, quin vv. 948 et 949:

ΠΑΙ. ποῦ; τίς λοχεύει σ᾽; ἢ μόνη μοχθεῖς τάδε;
ΚΡ. μόνη κατ᾽ ἄντρον, οὗπερ ἐζεύχθην γάμοις

pro spuriis sint habendi; qui cur ab aliena manu sint additi, probabilem causam invenire videmur posse, cur Euripides narrationem mutaverit, non poterimus.

Nam interpolatori illi non apte convenire Creusae responsum: *ἔτεκον κτλ.* videbatur in paedagogi interrogationem:

κἆτ' ἐξέκλεψας πῶς Ἀπόλλωνος γάμους;

quia eum id potissimum putabat rogasse, quomodo illa nuptias sive partum *celavisset;* quare ut in antro se *solam* enixam esse diceret Creusa, duos illos versus interiecit.

In quo illum verbi *ἐκκλέπτειν* notionem fefellisse arbitror, quam de celanda aliqua re usurpari posse quamquam non nego, tamen quae Creusa respondet: *ἔτεκον· ἀνάσχου ταῦτ' ἐμοῦ κλύων, γέρον*, ita dicta videntur, quasi aliquid novum et paedagogo inexpectatum dixerit, cum se *peperisse* fateatur. Gravissimum enim est verbum *ἔτεκον*, et quo Creusa omnes dubitationes removere videatur, quasi nuptias partus non secutus sit. Itaque e Creusae sententia verbo *ἐκκλέπτειν* inest notio: frustrari, irritum facere, malum eventum evitare. Ne quis, quia ab ipso paedagogo de partu iam versu 932 mentio facta sit, eum verbum *ἐκκλέπτειν* illa notione usurpasse neget: in tota ille se fabula hominem ostendit ingenii admodum senilis, quare etiam hoc loco rem quam debebat perspectam habere, denuo e Creusa percontatur, pariter ac si adhuc nihil de ea re audivisset. Neque minus rerum minutissimarum eum tam curiosum reperimus, ut paene risum moveat. Compara modo versum 902: *μαστὸν διώκοντ' κτλ.*

Cum eiectis versibus 948 et 949 huic loco medelam adhibuerimus, alia quoque in hoc colloquio res extat, quae offensionem movere possit. Nam Mercurius in prologo vv. 18 et 27 dixerat Creusam Ionem ut moriturum exposuisse; ipsa v. 965, cum interrogata esset, cur filium exposuisset, Apollinem eum servaturum esse se arbitratam contendit. Quid igitur? Nonne neglegenter hoc loco Euripidem fecisse dicamus? At cum Mercurius v. 26 commemoret serpentes illos aureos, in quibus *τὰ τέκνα τρέφειν* mos fuerit Erechthidis, infanti a Creusa iniectos esse, et ipsa multis locis Apollinem incuset, quod suum et ipsius filium non servaverit: facile cognoscimus, Euripidem statim ab initio fabulae

rem ita tractasse, ut Creusa de filio ab Apolline servando cogitasse videatur. Adde quod virgo vitiata parentum timore et animi angoribus agitata filium cum indignatione quadam in dei cubile abiectum, (v. 899: *εἰς εὐνὰς τὰς σάς*) quantum in ipsa erat, perdidit sed ita, ut deum, nisi crimen crimine cumulaturus esset, non passurum speraret, ipsius filium male perire. Quare neglegentiae crimine poetam absolvemus.
